



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 57. Historia Puellæ Aurelianensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

§. LVII.

Historia de Virgine Aurelianensi.

Frison Gal-
lia purpur.
l. 2.

Æn. Sylv.
Europ. c. 18.

Placuit quippe Deo ad regnum Galliae ab exitio vindicandum, & ad repellendos Anglos, inermem ignobilis cujusdam pastoris filiam seligere. Nomen illi Joanna D'arcia, Pater Jacobus D'arcia in pago Dompremejo seu Dom-remigio prope Valliscolorem ad Mosam progenitus; Mater vero Isabella Walteria. Hæc optimos sortita est parentes, qui filiam suam in pietatis operibus, ac virtutum studio enutrire, summe solliciti erant. Unde singulis feriis sextis jejunare solita, præter orationis pensum, quod Deo & Christo Domino præprimis exsolvebat, Beatissimam quoque Virginem speciali cultu prosequabatur. Sæpius conspicuum habebat S. Michaelem Archangelum, singularem totius Franciæ Protectorem, qui & eam adhortabatur, arma sumeret, Aureliamque sexto jam mense ab Anglis oppugnatam liberaret, Regemque Carolum VII. suis terris spoliatum Rhemos ad sacram inaugurationem, ac suscipienda regni insignia deduceret.

Joanna initio ejusmodi visiones parum curabat, quæ ubi tertia ac quarta nocte recurrerent, rem totam parentibus suis aperuit; hi eam ad Valliscoloris Præfectum

fectum adducunt, qui tamen risu Puel-^{Sæcul. XV.}
 lam primo exceptit, cum persuadere sibi A. C. 1429.
 haud posset, illam ad propulsandos ex
 Francia Anglos a Deo selectam esse.

§. LVIII.

*Galli Anglorum plaustra Halecibus
 onusta invadentes, magna clade
 fugati.*

Eadem, cum de Religione Christiana,
 bellicque eventibus ingenti prudentia,
 ac rerum peritia differeret, simulque nar-
 raret, Gallos eadem, qua Præfecto collo-
 queretur, hora ad Aureliam profligari, ad-
 deretque, ni ad Regem mitteretur, gra-
 viora adhuc illis instare pericula, Præfe-
 ctus ante omnia recentis hujus cladis ve-
 ritatem comperire voluit, qui etiam post
 octo vel decem dierum intervallum in-
 tellexit, Gallos dicta die, cum Anglos in
 sua castra plurimos halecibus onustos cur-
 rus pro quadragesima deducturos ag-
 grederentur, re ipsa non procul a pago
 Roboreta fusos fugatosque fuisse. Illa
 nempe tempestate etiam milites sacræ
 quadragesimæ observantiam majori Reli-
 gione, quam hodieum coluisse notan-
 dum. Ceterum ab hoc eventu dicta
 Gallorum clades vulgo *halecum pugna* ap-
 pellari consuevit.